

**A**lis partium destinatarum ad vrinæ expurgationem, vel e conuerso naturæ motu, solet enim, etsi rarissime id fit, natura terminare morbos emissio sanguine per vias vrinæ. Aliquando verò sanguis qui cū vrina miscetur, est potius sanies quædam sanguinis, aut sanguis diminutè coctus, quā verus sanguis: & tunc vrina redditur similis aquæ in qua caro recens macerata abluta est, & tunc indicatur non defectus naturæ in concoctione, vt putat Montanus, sed potius dilatatio quædam renum & venarū emulgentium: quod apparet in ijs qui calculo laborant. Illi enim vrinas, quales diximus, & nonnunquam etiam veluti fuligine asperas mingunt e conuerso, vel humore melancholico, vel sanguine afflato. Cæterum lapides qui subsident in vrina, gignuntur vel in renibus, vel in vesica, ex pituita exsiccata quidem, sed nondum plane consumpto humore omni, nam si humor non adesset, non consistenter lapides, sed in sabulum dissoluerentur. Fit ergo sabulum quod subsidet, ex terrena portione priuata suo vinculo, nempe humore. Non tamen lapides aut arenulæ indicant necessario calorem igneum, vt Montanus tradit: quandoquidem multi huiusmodi arenam copiosam & lapides mingunt absque sensu insignis alicuius caloris in renibus vel vesica, aut alterius partis comparatæ ad vrinam reddendam. Sufficit enim exiguus calor vbi pituita est crassa, & diu in exiguis cavitatibus renum aut in meatibus vesicæ continetur, ac lipidis vel sabuli generationem. Fit ergo pus, suppurata & rupta aliqua inflammatio in partibus vrinæ destinatis, aut in alijs quæ per vrinam expurgari solent, vel eisdem exulceratis partibus. Pus enim vlcera sequitur, nec semper puris generatio requirit igneum & adurentem calorem, quandoquidem absque aliquo caloris sensu in his qui diu huiusmodi malis sunt affecti sæpe in renibus, hepate & liene & in alijs corporis partibus per dissectiones deteguntur abscessus multo pure pleni. Verum exiguus nonnunquam apparet in vrina, ex sordidis vlceribus, ut par est credere, vel ex corrupta materia geniti: visi quoque sunt excreti per urinam. Dracunculi ex tali materia, vt arbitror, etiam procreantur. Pili fiunt ex pituita diu in renibus contenta & quodammodo afflata, & ob angustiam viarum extenuata ad pilorum formam. Indicio est autem illud gigni in renibus & meatibus vrinarijs, quod calculo laborantes, quum exit calculus, plurimos pilos huiusmodi cum vrina emittant. Cæterum sedimenta quæ farinæ formam referunt, fiunt ab humore crudo vocato, qui in venis, vt Galenus asserit, acervari solet: non autem habet causam calorem igneum, ut ait Montanus. Orobea etiam sedimenta idem docet fieri colliquis solidis partibus. quod mihi parum videtur probabile, cur enim non fieret perpetuo in ijs qui hectica febre & colliquantibus alijs morbis pereunt? Videtur ergo habere materiam, si nigrescunt, humorem melancholicum, & propterea malæ sunt tales vrinæ, canerosæ enim sunt affectiones atrabiliaræ. Furfurea sedimenta, squamosa & foliacea vesicam exulceratam sequuntur. Atque hæc sufficiant de causis contentorum in vrinis, quæ scilicet innatant aut subsident.

## De causis bullæ &amp; spumæ. Cap. XXI.

**D**EQUITUR ut de causis aliorum contentorum agamus quæ in superficie vrinæ apparent; inter quæ ampullas siue bullas, spumam, & pinguedinem, & coronam, enumerauimus. Ac de bullis & spuma communi agemus tractatione, quia communis est illorū materia & natura, nam spuma nihil aliud est quam multæ bullæ simul aggregatæ & conflactæ, & in minimas partes diuisæ. Fit autem bulla ex humore viscido mixto cum spiritu crasso. Vapor enim huiusmodi suapte natura sursum attolli nititur, humor autem tenuis & viscidus permittit quidem illius motum, sed resistit aliquantulum. Itaque deducitur a vapore humor & tumet, atque ita bulla fit quæ postea dissoluitur exeunte vapore & concidente humore. Durant autem plus vel minus huiusmodi bullæ antequam dissoluantur, quia humor & vapor crassiores tenuioresque sunt, crassities enim dissolutionem moratur, tenuitas vero accelerat. Porro miscetur humor cum vapore uel à calore uel à motu, aut ab utroque, motu enim spuma in mari gignitur, calore in aqua & iusculis feruentibus, in aquis vero currentibus ab utroque: vrinæ vero spumosa, meo quidem iudicio, non fiunt à calore naturali vel præter naturam, vt Montanus censet, quod ex spuma materiæ agitationem, uirtutis debilitatem, & etiã mortem prædici scribit. Nam in quotidianis & tertianis nothiis, ubi multa adest pituita & calor febrilis qui talem materiam agitare potest, fierent perpetuo vrinæ cum bullis, & spuma, quod non fit. Sed quum omnes ex talibus vrinis distillationes humoris pituitosi a capite recte præfagiant; indicium est solum motum causam esse istarum rerum in vrina. Quum enim humor pituitosus, viscidus, & tenuis descendit a capite in uenas, & ex motu agitur; confringitur in minimas partes, & ex calore flatus interim aliquis procreatur, bullæ & spuma nascuntur, quæ cum humore seroso mixta, illum sequuntur per vias urinæ & vrina ipsa emissa in ea supernatant. Indicat ut diximus spuma maiorem causam, onde mare primo bullas excitat, quum agitur à uentis, & includi incipit aer: postea uerò durante tempestate spumofum euadit ex continua agitatione incluso per minimas partes uento, & extenuata aqua quæ per minima iam diuidi potest.